

quentes sunt ferri minera, & iuxta Athesim in loco qui uocatur Schuuatz uberrima sunt argētisodine, ex quibus annuatim ingens uis eruitur argenti. Irrigatur terra ipsa plurimis piscosis amnibus, qui omnes in Danubium exonerātur, augentq; illum mi rum in modum. Habuit præterea Bauaria à multo tempore proprium ducem, qui & tempore Ottonis imperatoris tertij numeratus est inter quatuor duces imperij. Colligitur etiam ex historijs Bauariam ante Christum natum & aliquādiu post eius nativitatem habuisse regem, sicut Iulius Cæsar scribit, Ariouistum Alemānorum regem uxorem duxisse, sororem regis Norici. Inuenitur quoq; Garibaldum regem Bauarie tradidisse filiam suam Theodelindā in coniugē regi Lombardie. Postea anno Christi 612. fuit Teudo dux in Bauaria, & hic baptisatus est à sancto Ruperto episcopo Vuormaciensi, qui & postea episcop. fuit Saltzburgensis. Transactis deinde aliquot annis, ducatus Bauariæ peruenit ad Caroli magni posteros, qui præfuerunt Bauariæ usq; ad imperatorem Arnolphum, qui anno Christi 889. extruxit in Bauaria inter Monachum & Ingoltstadium burgū nomine Schyern, cui præfecit Comitem palatinum. Ab isto Arnolfo & posteris eius peruenit ducatus Bauariæ mediante muliebri prole ad duces Saxoniz. Alij asserunt Ottonē imperatorem anno Christi 947. ducatum Bauariæ tradidisse fratri suo Henrico Saxonī, qui auus fuit sancti Henrici imperatoris. Cūq; sanctus iste Hēricus sine herede decederet, cōtendebant comites à Schyern pro ducatu Bauariæ, uerum nihil efficere potuerunt, cum ducatus fluctuaret iam sub Saxonibus, iam sub Marchionibus Austriz, & iam sub Vuelpis Sueviæ usq; ad annum Christi 1156. Quo tempore imperator Fridericus dedit hunc ducatū Henrico duci Saxonum, sublimauitq; Marchionem Austriz in ducē, adjiciens prouincię eius aliquos comitatus ex ducatu Bauariæ. Postea anno Christi 1180. rursum exclusit imperator hunc Henricū ob superbiā eius ab utroq; ducatu, factusq; est Otto comes à Schyern & comes Palatinus à Vuitelspach, dux Bauariæ, & ab illo descēderunt omnes duces Bauariæ & Palatini Rheni, qui ab eo tempore usq; nūc natū sunt. Iste Otto genuit Ludouicū, Ludouicus aliū genuit Ludouicū, & is duos habuit filios, nempe Rudolfum & Ludouicū: Rudolfo pater dedit Palatinatū Rheni & Ludouicū fecit successorē in ducatu Bauariæ. A Rudolfo descēderūt moderni principes Palatini, ut in tabula Rhenf III. ostēdi. Porro Ludouicus factus est imperator, & inter multos filios duo illi successerūt in ducatu, Stephanus & Albertus. Albertus fixit sedē in Straubingē, defecitq; linea eius in filijs eius. Stephanus diuisit insenectute sua ducatū trib. filijs suis, nempe Stephano, Friderico & Ioāni. Stephani linea defecit in filijs eius. Fridericus uero, cui sorte obuenerat Landshura, genuit Henricum, Henricus genuit Ludouicum, Ludouicus habuit unum filium, nempe Georgium, qui cognominatur dux diues à Lands hut, & filiā Margaretā, quam duxit Philippus Palatinus. Et cum hic Georgius moreretur sine liberis exortum est temporibus nostris horrendum bellum Bauaricum. Porro dux Iohannes à Monaco genuit Ernestum, Ernestus genuit Albetum, Albertus genuit alium Albertum aliosq; filios, Albertus genuit Vuilhelmū & Ludouicū qui isto tempore Bauarię præsunt.